

BRICA ASTROLABII

PROPOSITIO VI. ARCVS HORARVM inæqualium artificialiter planisphærio inscribere.

PER PROPOSITIONEM SECUNDAM HV-
ius didicimus confectiōnem horarum æquinoctialium: quas uulgo
æquales nominamus. lam nunc ad descriptionem arcuum horariorū
temporalibus horis, quas hodie inæquales nuncupamus, commo-
rum accedamus hoc pacto.

¶ Portiones duorum tropicorum, Cancrī & Capricornī sub horizonte in par-
te Aquilonia cadentes in duodenas partes æquas dispartire: Similiter semicirculū
æquatoris sub horizonte contentum in totidem partes distribue: punctis (ut as-
let) adiectis. Quo facto accede primitus ad tria puncta horizonti occidentali uici-
niora, quorum primum est in tropico Capricornī, secundum in æquinoctiali, ter-
tium in tropico Cancrī. & eorundem officio circini centrum inuestiga, & describe
arcum hæc tria puncta tangentem. Incipiendo a puncto Capricornī: eundo per
punctum æquinoctialis: terminando in puncto tropici Cancrī. & hic arcus erit fi-
nis horæ primæ inæqualis: & principium secundæ. Et circino non uariato quare
centrum trium punctorum proximorum in alio latere horizontis orientalis: & duc
arcum qui erit finis horæ. 1. inæqualis: & initium horæ 12. Vnde constat opera-
tionē hunc faciliorem & breuiorem reddi ex eo, quod cognito centro unius arcus
horarij in una mediate, habebitur in eadem distantia centrum alterius arcus horarij
alia mediate.

Descriptio ho-
rarum tempo-
ralium siue inæ-
qualium.

¶ Porro inquire centrum ad alia tria puncta immediate post arcum horæ primæ
in occidente sequentia, & produc arcum seruientem exitui horæ secundæ inæqua-
lis & exordio tertiæ. Et in alia parte puta orientali circino sic stante pinge arcum pro
fine horæ. 10. Et ita operationem continuabis donec omnes arcus horarios com-
pleueris. Tandem ascribe numerum horarum: scilicet arcui primo ut iam admo-
nuimus. 1. Secundo dextram uersus. 2. Tertio, 3. & parti septentrionali: diametri,
a. c. circa c. 6. post arcui sequenti. 7. stabuntq; 12, in parte horizontis orientali.

¶ Gratia autem lucidioris intelligentiæ animaduertendum. Si artificiose & bre-
uiter trium punctorum propositorum, non in linea recta positorum, centrum in-
uenire cupieris, Siste pedem circini in uno horum trium punctorum, & alio ali-
qualiter extenso duc partem circumferentiæ occultæ. Deinde pone eundem pedē
circini sub eadem extensione in secundo puncto, & iterum duc partem circumfe-
rentiæ occultæ interfecantem priorem in duobus punctis, & trahē lineam rectam
occultam per ambas intersectiones in continuum & directum uersus hanc partem
ubi existimas fore centrum trium punctorum. Eodem modo fac duas intersectio-
nes per circinum in tertio puncto nondum tacto & alio sibi proximo, siue hoc
possit fieri sub eadem extēsiōne sicut prius, siue sub alia maiore siue minore: Quia
circinus semper hoc pacto debet extendi quod possit causare duas intersectiones
siue inter duo puncta siue in distantia ab eis qualitercunq; hoc fiat. Habitis igitur
talibus intersectionibus per secundum & tertium punctum repertis, duc per eas-
dem lineam rectam subtilem in continuum & directum quousq; secet primam li-
neam rectam. Et ubi hæ lineæ sese interfecant, illic est centrum trium punctorum
propositorum.

De artificiosa
inuentiōe cen-
tri trium pun-
ctorum propo-
sitorū. &c.
Ecce schema,



HVIVS PROPOSITIO- NIS HANC SEQVENTEM CAPE FIGVRATIONEM,

B